

1274, desembre, 13

*Ramon d'Estrada, de Madremanya, ven a la seva germana Bernarda una feixa de bosc, situada a Madremanya, que es té per Bernat de Bellmirall, pel preu de 10 sous.*

ASD núm. 222, perg. orig., 280 x 230 mm.

Sit notum cunctis quod ego Raymundus de Strada de Matremagna, per me et omnes meos presentes et futuros, gratis ac spontanea uoluntate uendo et trado tibi Bernarde sorori mee, filie Adalaydis de Boscho de eodem loco et tuis et cui vel quibus uolueritis in perpetuum totam illam meam feixiam boschi integre quam habeo et teneo per Bemardum de Belmiray in parrochia de Matremagna, loco uocato Podio de Gudel. Afrontat autem dicta fexia ab oriente in media serra, a meridie in honore Amaldi de Presis, ah accidente in honore Bernardi Foxan, a circio in torrente. Predictam siquidem feixiam boschi integre cum ingressibus et exitibus, pertinentiis et tenedonibus et cum melioramentis et augmentis factis et de cetero faciendis et cum terra in qua dicta fexia sedet et cum arboribus diuersorum generum et cum omnibus aliis in se habentibus sibique qualicumque modo pertinentibus, prout melius potest dici et intelligi ad tuum comodum et tuorum, sic predicta omnia ad faciendum ibi uineam uel quicquid aliud ibi facere uolueris tibi et tuis perpetuo uendo et trado precio decem solidorum barchinonensium monete de temo, de quibus recognosco me a te bene fore paccatum, renunciando excepcioni peccunie non numerate, et si hec uendicio amplius ualet uel de cetero plus ualebit precio antedicto, totum · gratis tibi et tuis dono donatione inter uiuos, renuncians expresse auxilio et beneficio illius legis qua deceptis ultra dimidiam iusti precii succurritur et omni excepcioni doli et metus et actioni in facturo et restitutioni in integrum et omni alii iuri pro me facienti. Et ideo omnia predicta de meo meorumque iure, posse et dominic eicio penitus et extraho, eadem in tuum et quorum uolueris ius, posse et dominium libere et quiete penitus transferendo; mitendo inde te in presenti in corporalem et uacuum horum omnium possessionem ad omnes tuas. uoluntates et tuorum perpetuo faciendas, saluo iure predicti Bernardi de Belmiray in omnibus, cui dabis tu et tui fideliter de expletis tascham allatam aput Matremmagnam, ad suum cellarium, et unum par gallinarum annuatim pro censu infesto Omnium Sanctorum; et sic promito tibi et tuis omnia predicta semper facere habere et tenere in pace contra cunctam personam uiuentem. Uerumtamen si aliquis in predictis aliquid tibi uel tuis tetigerit, contradixerit, emparauerit, forifecerit, demandauerit siue aliquam questionem uel demandam eontra te uel tuos fecerit siue mouerit, ego ante ingressum litis statim promito me ante te et tuos ponere et honus litigii super me et meos recipere et totam causam ad effectum ducere a litis principio usque in finem et inde te et tuos indempnes seruare in curia et extra curiam, in placi to et extra placitum, in iudicio et extra . iudicium cum meis propriis missionibus et expensis, et credaris inde tuo plano uerbo, sine sacramento et testium productione, et de euictione et omni interesse obligo inde te et tuis omnia bona mea mobilia et immobilia et semouencia ubique, et si aliquo iure scripto uel non 473 scripto contra predicta obuiam ire passem, illis omnibus penitus renuncio.

Actum est hoc idus decembris anno Domini .MCCLXX. quarto.

Sig+num Raimundi de Strada predicti, qui predicta omnia firmo, laudo et concedo. Sig+num Bernardi de Belmiray predicti, qui predicta omnia firmo, laudo et concedo, saluo meo iure et meorum in omnibus, cuius firmamentum ego Raimundus Strutii scriptor infrascriptus de mandato ipsius hic apposui pro eodem, quia ipse propter fragilitatem manuum et obscuritatem oculorum hic propria manu firmare non potuit ut consuevit, et ideo ego Raimundus Strutii pro eo signo crucis firmo. Sig+num Guilielme, uxoris eiusdem, que hoc firmo. Testes huius rei sunt Berengarius Pagan et Bernardus Ferrerii de Matremagna.

Sig(s. man. )num Raimundi Strutii, qui hoc scripsi mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. (s. man.) Raimundus de Caciano, terrenus locum Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 471-473